

pedem, in quo homines captivi cum manibus et pedibus solent detineri, quem recipi fecistis in curte et villa eorum de Perle, et etiam reparetis seppum in terra fixum, in quo homines captivi solent etiam cum pedibus seu cruribus detineri, quem etiam nuper in curte predicta per quosdam homines subditos vestros secari et destrui procurastis, nec non etiam restituatis quinque libras Turonen(sium) parvorum, pro quibus quinque equos hominum dictorum dominorum eiusdem curtis recepistis et vendidistis propter expensas quorundam hominum ipsorum captivatorum per vos tempore violentie huius ipsis facte'. Ad quem respondit dictus Iohannes Bleiche: 'Ego non fui scultetus, quando ista premissa facta fuerunt et ille, qui scultetus tunc erat, ad presens non est villa et ideo tripedem habere non possumus. Et pro certo quam cito idem scultetus, qui tunc erat, redierit, ego loquar cum ipso et faciam posse meum, quod ipse restituet tripedem et pecuniam supradictam, et voluntatem suam super hiis vos scire faciam infra dominicam¹ nunc instantem'. Et hoc acto idem Symon dixit sic: 'Ex quo ad presens tripedem habere non possum, incontinenti unum fieri faciam et dictis dominis, ut michi commissum est et iniunctum a dominis meis undecim supradictis, restituam et in curtim ipsorum predictam reponam'. Et hoc dicto mox unum tripedem fieri fecit per quendam de sua familia, quo facto ipsum in altum levavit et secum portari fecit aperte et manifeste a villa de Sirks usque ad villam de Perle et ipsum presentavit et restituit honorabili viro domino B(oemondo) de Sareponte archid(iacono) Treverensi, procuratori predictorum dominorum . . prepositi, . . decani et . . capituli predictorum, ut asseruit², et eos-

1) März 6. 2) Die Vollmacht des Capitels von 1344 Dec. 22 giebt die Namen der Friedensbrecher: Iohannes de Kempukil scultetus de Sirkes, Bartholomeus de Rustorf forestarius de Sirkes, ferner aus Rüs Dorf Mathias filius Friderici, Mathias dictus Vras, Fridericus mit den verkerden ougen, Tilo Molkensuffer, quidam dictus Weckerling, Heinricus Rose, Friczo, Mathias filius Vras und andere. Rüs Dorf bei Sierck. Diese Vollmacht wurde 1345 Jan. 3 von der Landfriedensbehörde vidimiert in folgendem Wortlaut:

Nos undecim electi super communi treuga Lothoringie notum facimus universis, quod anno Domini MCCCXL quarto, die Lune ante apparitionem Domini fuit nobis presentata quedam procuratio sana et integra, sigillata sigillo decani totiusque cappituli ecclesie Treverensis, tenor cuius sequitur in hec verba: 'Nos decanus — Thome apostoli'. Quam quidem procuracionem prope nos retinuimus; dedimus insuper dictis procuratoribus hoc presens vidimus sigillatum sigillo dicte communis treuge, qui procuratores a nobis dictum vidimus requisierunt.

Or. Coblenz, Staatsarchiv, Trier Domcapitel. Siegel fehlt.